LIBRARY

Fondazione Diabete To
Museo del Diabete
Libri Antichi
117

C. C. Witthüsen,

Professori eruditissimo

atque

experientissimo

Praeceptori semper colendo.

Autor.

B783

Dissertationis

DE ICTERO

particula prior,

continens

varias de causa hujus morbi proxima sententias,

quam,

ut licentia summos in medicina honores obtinendi

sibi concedatur

publice defendere studebit

autor

Seligmann Meyer Trier,
Medicinæ Candidatus,

respondente

Carl Rafn,
Medicinæ Candidato ornatissimo.

Die Septembris XV hora locoque solitis.

Hafniæ MDCCCXXV.
Typis Bernhardi Schlesinger.

Facultas medica in universitate hafniensi hocce opusculum, docte et concinne elaboratum, dignum judicat, quod pro Licentia summos in arte medica honores capessendi publico opponentium examini subjiciatur.

O. Bang,

p. t. Decanus Facult. med.

Ab Hippocrate inde usque ad nostra tempora ab omnibus autoribus, Helmontio paucisque aliis exceptis, icteri genesin bili vel saltem materiei bili simili adscriptam invenimus. Variant solum sententiæ in eo, quod alius alia via bilem in morbum provocandum agere statuerit, quæ varietas cum ex cognitionibus anatomicis et physiologicis multum dependeat, facile etiam factum est, ut, quo majores progressus facerent hæ artes, eo magis illustraretur morbi natura. Itaque cum autorum, qui de ictero scripserunt, quique nobis principes videbantur, sententias exponere in animo esset, ordine chronologico, quantum fieri potuit, progredi optimum duximus; sæpe enim fit, ut coævi similes fere, ætate autem a se maxime remoti maxime diversas de rebus medicis foveant sententias.

Incipimus jam ab Aretæo [1]), qui icterum putat oriri, quando meatus bilem ad intestina ferentes phlegmone aut scirrho interclusi sint, quo fiat, ut vesica fellea redundet, bilis retrolabatur et cum sangvine misceatur, qui per totum corpus discurrens bilem in omnia membra diffundat atque ita corporis speciem bile tingat. Icterum nigrum a liene ortum ducere putat.

Galenus [2]) contra icterum ex bile sangvini immixta sine hepatis auxilio, accedentibus solum causis externis, nasci, seu "sangvinem in bilem verti" [3]), putat. Exemplo utitur venatoris regii, qui a viperæ morsu arqvatus decessit. Vesicam quoque felleam in culpa habet, quando ejus debilitas impedit, quo minus partes sangvinis biliosas attrahat.

---

1) de causis et signis morborum diuturnorum lib. 1 cap. XV.

2) de locis affectis lib. 5.

3) Multo serius similem fere habuit sententiam Pechlin, (quem ipse haud cognosco, apud Marcard loco infra citando citatum vidi) qui tam improbabile, quam maxime putat, bilem secretam in sangvinem redire. Bilis autem principia ita sangvini inesse existimat, ut fermentum (ira, moeror, morsus animalis venenati) accedens eandem evolvat et ita icternm pariat.

Videmus itaque Aretæum et Galenum in eo dissentire, quod ille excretionem inhibitam, hic secretionem suppressam morbi causam habuerit; ille bilem in sangvinis massam redire, hic sangvinem in bilem mutari existimarit. Uterque autem, hepar esse organon sangvificationis [1]), in vesica fellea bilem secerni [2]), putavit, quam sententiam apud autores serioris ævi adhuc valuisse videbimus. Icteri nigri, qui hodie major icteri flavi gradus habetur, origo vulgo lieni attributa est, quod hic officio suo, repurgandi scilicet sangvinem a crasso, atro et melancholico humore non satisfaciat, unde sangvis impurus ad par-

---

1) Tota antiquitas usque ad tempora Bartholini et Rudbeckii chylum de intestinis per venas mesentericas, cum nondum viæ lacteæ innotuissent, ad hepar venire putabat; ibi a facultate propria chylum quasi coqui, et partem excrementitiam bilis nomine ad intestinum ferri; partem utilem a ruberrima visceris carne in sangvinem perfici. Vide Halleri elem. physiologiæ, Bernæ 1764, Tom. 6 p. 616.

2) De causis diuturn. lineis loco citato prægressis: Creatur in iecinore bilis, camque in iecinore posita vesica secernit."

tes deveniens, easdem tetro suo colore defoedet [1]).

Galeni de ictero, uti de aliis morbis sententia per multa valuit sæcula ejusque in verba medici jurarunt; sub finem autem sæculi decimi septimi Helmontii et Sylvii innotuerunt systemata, in quibus hæcce fere de icteri ortu inveniuntur.

"Felle", ut ait Bonetus [2]), "famoso icteri patratore profligato, novum in theatrum proditurum Helmontius [3]), virus nimirum excrementosum seu cruorem flavum et stercoreum sive stercus liquidum flavum secundæ digestionis [4]) prolem, sursum præter naturam raptum et per totum corpus dispersum. Quod in duobus cadaveribus dissectis, ictero exstinctis, manifeste se deprehendisse affirmat, in qui-

---

1) Boneti sepulchreti lib. 3. sect. 18, observatio 27.

2) l. c. obs. 27.

3) Johannes Baptista van Helmont: scholarum humoristarum passivæ deception. cap. 5.

4) Sex supponit adesse digestiones, quarum, prima per duumviratum ventriculi et lienis peracta, secuuda in duodeno fit, dum acidum, quod prima digestione præparatum est, per fel ex folliculo felleo neutralisatur cet. vide Sprengels pragm. Geschichte der Medizin 4ter B. p. 355.

bus, nulla præsente folliculi fellis obstructione, mesentericæ venæ cruore hocce flavo et stercoreo scatuissent, qui autem urinæ et alvi sordibus permistus nullam affricuisset amaritiem, cum et ipse ea destituatur."

Sententia æque singularis, ac illa Helmontii nuper commemorata, apud Sylvium exposita deprehenditur. Putat nempe Sylvius [1]), in ictero auctam adesse bilis tenuitatem et spirituositatem ideoque ad rite et satis (cum sangvine) effervescendum ineptitudinem, quare sangvini non tam permisceatur, quam confundatur, unde fiat, ut facillime uterque humor rursus secedat, atque ideo cutis bile tingatur. Ut hæc melius intelligantur, notandum est, quid Sylvius de secretione et motu bilis senserit: Bilem omnem generari per arterias cysticas ex sangvine, qui in vesicæ cavitatem advectus, ibidem in bilem vertatur. Bilem autem ita generatam judicat ferri per ductum cysticum, ulteriusque partim per ductum hepaticum ejusque ramos, ibidemque misceri sangvini ad dextrum cordis ventriculum properanti. Hanc mixtionem, sanitate integra, effervescentiam

---

1) Franciscus Deleboe Sy[vius. praxeos medicæ lib. 1 cap. 46.

adducere inter bilem lixiviosam et sangvinem acidum, quæ quominus rite et satis in ictero fiat, nimiam bilis tenuitatem et spirituositatem impedire. — Sed jam centies hæ sententiæ refutatæ sunt.

Initio sæculi decimi octavi Bianchi de pathologia et anatomia hepatis opus edidit, in quo auriginis mentionem faciens [1]), eandem duplici via oriri autumat: "Quotiescunque ad biliferi emissarii exordium aut progressum quoddam adest obstruens aut aliud offerciens libertatem canalis, impeditæ particulæ biliosæ a trajectione sua, in sangvinis massam retrovertuntur ac reaffunduntur &c. — Hæcce itaque autori cum Aretæo communia sunt, sed præter icterum ex vitio visceris, alter quoque ex vitio sangvinis, ex polycholia, ut dicunt, ortum ducens, ex Bianchi sententia existit. "Data in sangvine causa, quæ biliosas substantias vel copiosius, quam in statu naturali producat et accumulet vel jam præexistentes uberius extricet a cæteris principiis et colligat, redundans hæc copia non tota sæpe excerni poterit per canales licet debito patulas, sed tanta solum, quæ eorum alveis proportionalis

---

1) Johannes Baptista Bianchi: historiæ hepaticæ part 2 cap. 10 §. 6.

fuerit; reliqva restitabit in sangvine, huicque quia incongruæ, nec amplius miscibili, ut supra, idcirco continget per alias partes effundi, per quas foras inde derivetur a corpore, si nempe erunt glandulosæ, vel irretiatur solum earumque loculis affigatur, ut sic icterum producat, si non glandulosæ". In hanc posteriorem sententiam Bianchi, ni fallor, eo ductus esse videtur, quod sæpius in ictericis alvi excrementa colore naturali gaudere observavit.

Swietenius [1]) his fere de nostro morbo utitur verbis: "Notari meretur, quod sangvis venæ portarum in se contineat proximam bilis materiam, quæ inde postea per secretorios ramos in hepate separabitur; unde si magna pars extremarum finium venæ portarum immeabili humore infarcta fuerit, impedietur hæc secretio bilis hepaticæ et illud liqvidum, quod paullo post bilis vocaretur, manebit mistum cum reliqvis et cum sangvine per totum corpus movebitur; adeoque debebit necessario sangvini induci quædam cochochymia, cum maneant in sangvine et accumulentur quædam partes, quæ naturaliter non debe-

---

1) Gerardi van Swieten commentar: in Hermanni Boerhaave aphorismos §. 918.

ant adesse vel saltemnon tanta copia", — — — "In talibus ægris non apparet quidem saturatus ille flavus ictericorum color, sed facies cetracea quasi est et pallido in dilutissimam flavedinem inclinante colore morbi hujus signum dat." et alio loco [1]): "Bilis consvetum exitum in intestinum non habens, in sangvinem redit et cum illo per totum corpus dispergitur."

Videmus itaque, Swietenium morbum derivasse et ex inhibita secretione atque inde remanentibus in sangvine particulis biliosis et ex impedito bilis effluxu in duodenum atque ejus in sangvinem reversione [2]). In casu autem posteriori impedimenta bilis cysticæ transitui in intestina obstantia, ante oculos habuisse videtur autor, cum omnia, quæ in ductibus hepaticis, ne ad intestina perveniat bilis hepatica, obstare possint, omnino silentio, ni fallor, præterierit. "Certum est", ait, "bilem hepaticam sapore et colore diversam esse a bile cystica, et artificio summo et penitus peculiari reptatu arteriæ numerosis-

---

1) ibidem §. 950.

2) Apud autores, qui retroversionem bilis in sangvinem causam icteri habent, raro de vasis, per quæ rediret bilis in sangvinem, sermonem factum vîdi; eos autem venam portarum ante oculos habuisse, ex seqventibus, ni fallor, patebit.

simæ decurrunt per membranas vesicæ felleæ, uti injectiones anatomicæ docuerunt, unde admodum verisimile videtur, peculiarem adeo vasorum apparatum servire hic singularis liquidi præparationi et secretioni. Præterea naturaliter in hepate nec amaror adest ullus nec flavus color, adeoque cum icterus tali colore corporis superficiem deturpet, non ab hepatis vasis obstructis, sed ab impedito exitu bilis cysticæ in duodenum ejusque dein retroversione in sangvinem ortum ducere videtur."

Hic locus esse videtur de ictero, ex vesicæ felleæ obstructione ortum ducente, uberius disserendi, neque negare possum, me inter dissentientes autores in eam sententiam inclinare, icterum ex obstructa vesica fellea sola nunquam oriri. Huc perductus sum partim per experimenta a variis instituta [1]), in quibus ligatus fuerat ductus cysticus sine ictero inseqventi, cum tamen animalia, in quibus choledochum ligatura constrinxerant, auriginosa facta sint; partim per cadaverum sectiones a variis, auctoritate gravibus descriptas. "On a trouvé", ait cel. Portal [2]), "des

---

1) vide infra, ubi argumenta, quæ bilis resorptionem demonstrent, exponuntur.

2) sur les maladies du foie, pag. 154.

calculs dans le canal cystique et dans la vesicule du fiel dans des sujets, qui n'avoient pas eu la moindre apparence de jaunisse," et alio loco [1]). " Tous ces calculs peuvent exister sans jaunisse, si le cours de la bile, provenant du foie par le canal hepatique dans le choledoque et de celui-ci dans le duodenum, n'est pas intercepté." Morgagni post plura, ab autopsia cadaverum magna ex parte petita argumenta, "hic autem" ait, "illud duntaxat ad memoriam revocabo, non cysticum sed hepaticum et communem ductum illas esse vias, per quas bilis ab ipso iecinore ad intestina amandatur, ut nisi hæ viæ aut excrescentia, aut constrictione aliqva, aut viscida crassaque materia aut calculis sive in ipsis viis, sive in hepate sive etiam in cysti genitis, sed in eas vias extrusis, impediatur, non possit biliariorum quidem meatuum causa bilis in hepate ideoque ejus materia in vasis sangviferis ad regium morbum efficiendum retineri." Historiam anatomico - medicam Lieutaudii, sepulchretum Boneti aliosque cadaverum sectiones continentes libros si perlustraris, verba Portalii nuper exposita confirmata videbis, obstructionem vesicæ felleæ et ductus cystici sine

---

1) ibid: pag. 131.

ullo icteri vestigio exstitisse [1]), et in casibus, in quibus talis obstructio inventa est, plerumque alia simul adfuisse vitia [2]), hepatis, ductus hepatici, choledochi cet: observabis. Exstant quidem sectiones, quibus, aliis abnormitatibus omissis, ductus cysticus obstructus fuisse fertur, sed tales sectiones aut minus accurate interdum descriptas invenies [3]), aut

---

1) Ita, exemplo ut utar, ex observatione Halleri in cadavere cujusdam latronis, laqueo suspensi, cujus firma erat valetudo, deprehendebantur in vesicula fellea duo calculi, quorum alter major coecum finem vesiculæ replevit, alter parvus in principio ductus cystici infra obicem summe dilatati arcte hærebat & hinc impediebat, quo minus bilis ab hepate secreta ad vesiculam appelleret: Lieut. histor. anat—med. obs, 867. a.

2) Idem Hallerus observavit cystidem felleam ictericæ, quindecim calculos continentem, quorum quatnor majores nucem avellaneam snperabant, reliqvi parvi erant, unius rostrum in ductum cysticum hinc obturatum producebatur; sed simul hepar ulcere erosum se præbebat. Lieutaud. ibid. obs. 867. b.

3) Sic opud Bonetum ter (Sepulehret. lib. 3 sect. 8 obs. 36. — lib. 3 sect 18 obs. 8 §. 5. — ibid. obs. 25 §. 6.) eadem a Coitero petita, et a Morgagni quoqne citata affertur sectio matris

etiam meatum e vesica fellea pro hepatico aut communi positum fuisse videbis. Cavendnm enim est, ut rite monet Morgagni [1]), ne in veterum observatorum vocibus erremus, quibus ad hepaticum aut communem ductum significandum utebantur, non hunc sed cysticum intelligentes. Sic Camenicenus [2]) causam icteri, quo laboraverat ægrotus, cujus cadaver secuit, duxit obstructionem illius meatus, qui ex folliculo felleo in duodenum desinebat. Autorem ductum choledochum, haud cysticum ante oculos habuisse satis docent ipsius verba: "meatus autem ille, qui ex folliculo in hepar est, liberrimus erat. Sed satis de his hoc loco, infra plura licebit eadem de re disserere.

Professoris Beati, quæ diutissime, ut ait Bonetus, regio morbo laboraverat. Inter cadaveris exenterationem vesicam felleam calculis impletam fuisse et in meatu a vesica bilis ad duodenum magnum, qui eum meatum undequaque obstruxerat, hæsisse calculum deprehendit Coiterus, quem ipsum si adieris, invenies, eum haud dixisse: morbo regio laboraverat, sed: regio, ni fallor, morbo laboraverat, ut inde pateat, autoris dubitationem omnino fuisse neglectam.

1) Joh. Baptesta Morgagni: de causis et sedibus morbor: lib. 3 epist. 37 art. 33.

2) Boneti sepulchr. lib. 3 sect. 18 obs. 8 §. 12.

Swietenio convenit Morgagni [1]) in eo, quod et suppressa excretione, bilis in sangvinem revertens, et inhibita secretione, bilis in sangvine remanens ad icterum provocandum facere possit. Ab eodem autem in eo recedit, quod bilem cysticam non in cystide ipsa, sed in hepate secerni et inde per ductum hepaticum et cysticum in folliculum felleum deferri arbitratur, et omnino negat, obstructionem hujus receptaculi arqvato ansam dare.

Huxham et Sauvages obstructionem in ictero adesse contendunt, quam hic causam morbi habet, dum ait, principium auriginis esse obstructionem vasorum biliariorum et bilis in sangvinem refluxum [2]), ille autem effectum morbi potius existimat [3]), dum causam proximam ait hærere in spissiori sangvinis indole, ex quo tenax secernatur bilis, quæ obstruat ductus biliarios.

Citavimus jam autores, (Sylvium et Helmontium ut hic prætereamus) icterum dedu-

---

1) l. c. lib. 3. epist. 37 plurib. locis.

2) Nosologiæ methodicæ Amstel. 1763 Tom. 5 p. 479.

3) Oper physico-medicor. Lipsiæ 1773. T. 1 p. 160. Similem quoque sententiam Bartholinus noster (actor. medicor. et philosoph hafn. Vol. 3 p. 168 obs. 91.) habuisse videtur.

centes partim ex bile nondum secreta, in sangvine remanente, quorum alii secretionem omnino inhiberi, alii eandem perseverare stauerunt, partim ex bile a transitu in intestina impedita et in sangvinem revertente; nonnulli utraque via haud inepte morbum oriri posse, contendunt; plurimi autem in eo convenire videntur, quod bilem existimant in sangvine, anteqvam ea in hepar pervenerit, præexistere. Hanc sententiam multis verbis refutare, hodie supervacaneum esse videtur, quippe cum physiologi bilem, uti alia secreta, non eductum [1]) esse sangvinis, sed per processum bio-chemicum in organo secretorio peractum produci seu secerni, uno ore consentiant, ut falsa sit eorum opinio, qui icterum bili in sangvine remanenti natales debere, exposuerint.

Autores plerique, qui extrema sæculi superioris parte scripsere, bilis jam secretæ resorptioni colorem ictericorum tribuunt, nec nisi in eo differunt, utrum bilis cystica, an

---

1) Fourcroy hanc veterum sententiam experimentis chemicis, quibus bilem in sangvine sano se invenisse putavit, confirmare studuit, sed refutatus est a Deyeux et Parmentier. vide Reils Archiw für die Physiologie 1ster Band. 2 Hefte pag. 94.

hepatica resorbeatur, et utrum hæc resorptio per vasa lymphatica fiat, an per venas. Halleri fere tempore certamen illud inter Hunterum et Drumondium de vasorum lymphaticorum functione locum habuit, et licet immortalis ille vir, resorptionem per vasa lymphatica fieri posse, haud negaverit, non potuit tamen omnino rejicere opinionem usque ad Hunterum unanime fere susceptam, qua venis resorbendi vis tribuebatur [1]). De ictero itaque mentionem faciens, "eum per bilis jam secretæ resorptionem ope venarum sangviferarum fieri" [2]) haud addubitat.

Meckelio [3]), qui de resorptione humorum secretorum copiosa instituit experimenta, li-

---

1) Resorptionem in partibus, in quibus nunquam certa fide vasa lymphatica deprehensa erant, uti in cerebro, pleura, peritonæo et cute, nihilominus peragi persvasum habuit. Vitam vidit per longius tempus in animalibus, quorum ductus thoracicus obliteratus fuit, durantem; canem, in quo vena, cui inseritur ille ductus ligata fuit, per XV dies viventem observavit. &c. &c.

2) vide Sömmering: de morbis vasorum absorbentium pag. 122 et Haller. l. c. p. 590.

3) Nouveaux memoires de l'academie royale des sciences et belles lettres an. 1770 pag. 46.

quida varia in ductum hepaticum injicienti, injecta in venam cavam exinde expansam transire, observare contigit; in genere tamen multo facilius vidit fluidum ita injectum in vasa lymphatica, quam in venæ cavæ ramos transire, sed nullo remedio, nec ulla vi adhibita fluidum ex hepatico ductu in venam portam aut arteriam hepaticam ducere successit. His similibusque ductus experimentis icterum oriri putat, quando bilis per vasa lymphatica et per ramos venæ cavæ, in hepatis substantia dispersos, in sangvinem refluat, eique communicet flavum colorem. Icterus igitur, ait, non ex refluxu bilis in sangvinem per venam portam oritur, neque obstructio hujus venæ icteri est causa, cum e contrario oriatur ex resorptione bilis jam præparatæ, in ductum choledochum transmissæ. Hæc a Meckelio instituta experimenta iis, quæ ab aliis autoribus serius instituta sunt, in eo certe cedunt, quod in cadaveribus, non in vivis facta sint, quo fit, ut conclusio sit minus certa. Quod autem obstructionem venæ portæ omnino negat ictero ansam dare posse, hoc certe tempore, quo vixit Meckel, verisimile, nobis autem, præter excretionem inhibitam etiam secretionem suppressam icteri causam existimantibus, veritati minus convenire videtur.

Marcard novam de regio morbo in singulari de hac materia tractatu [1]) exposuit theoriam. In cujus tractatus priori parte nonnullas veterum autorum sententias, et dein ea, quæ contemporanei de ictero sentiebant refellere conatur. Illa hoc loco prætereunda videntur, cum vix quidquam apud nostrum, quod non jam ab aliis sit dictum, exstet. De his autem pauca: Icterum, nisi ex bile, in hepate jam secreta, oriri non posse, plurimos ait contendere, eamque per unum alterumve impedimentum a solito in duodenum decursu interceptam in sangvinis massam transire et sic icterum parere. Quæ sententia minus ei placet et quidem ob eam causam, quod color bilis hepaticæ minus sit pallidus et sapor minus amarus, quam ut inde color oriatur flavus, qui in oculis et urina visu, in saliva gustu? detegi possit [2]); magis itaque ei arridet, regii morbi originem ex sola bile cystica repetere.

Non video autem, cur fieri non possit, ut bilis hepatica per longius tempus in ductibus commorans eundem sibi acquirat colorem, quem bilis cystica, quæ quoque in hepate se-

---

1) Mediziuiſche Verſuche. Leipzig 1778. B. 1.

2) Eandem observabamus Swietenii sententiam.

creta est, sed per commorationem [1]) solum in vesica, ut putant multi physiologi, qualitates sibi assumsit, quibus ab hepatica differt bile. Neqve quisquam ignorat, bilem in variis individuis vario gaudere colore, integumentorum universalium conditionem nativam, integritatem, morbi deniqve diuturnitatem multum variare; ex quibus coloris ictericorum varietas multo potius petenda esse videtur, qnam ex differentia inter bilem cysticam et hepaticam, nec a vero prorsus alienum mihi videtur, nonnullas causas, quæ ictero ansam dare valeant remotiores, ad hanc bilis qualitatem modificandam conferre posse.

Jam autor, postquam argumento nuper commemorato casibusque variis a variis petitis bilis hepaticæ resorptione icterum haud fieri posse, demonstrare conatus est et ad resorptionem bilis cysticæ in unoquoque v e r o [2])

---

1) "Vera amarissima bilis absque folliculi adminiculo generatur, vel in nonnullorum animalium hepate, vel in hominis ductibus biliariis, dum mora accessit". Haller l. c. pag. 587. conf. pag. 544.

2) Sæpius icteri veri mentionem facit autor, sed quid per verum icterum intelligat, aut quid ex ipsius sententia inter verum et non verum icterum intersit, nusqvam docet.

ictero inde conclusit, in posteriori dissertationis parte suam exponit theoriam, qua contendit, bilem in folliculo felleo contentam non solum unicam esse morbi causam, sed etiam eandem unice ex cystide ipsa neqve ex hepate aut aliunde in sangvinis massam pervenire. Viam autem, qua ex folliculo in sangvinem perducitur fel, duplicem statuit; aut enim bilis cystica ob majorem penetrabilitatem, ut dicit, acquisitam, ob cystidis laxitatem, compressionem vesicæ transsudata, in cavitate abdominis deposita, a vasis cavi abdominis lymphaticis resorbetur et per hæc sangvini communicatur, aut resorbetur a vasis cystidis lymphaticis et ex his in circulationem pervenit.

Variis argumentis variisque exemplis, quæ hic afferre circumscripti hujus opusculi fines prohibent, theoriam a se propositam defendere studet, nusqvam autem ostendit impossibilitatem, ut ita dicam, resorptionis bilis in hepate ipso, quod tamen ex mea qualicunque sententia fieri debuit, et omnino oblitus esse videtur, in hepate non minus adesse vasa lymphatica, quam in vesica fellea. — Nemo quidem negabit, cysticæ æque in vesica, ac hepaticæ bilis in hepate vel in ipsis ductibus resorptionem icterum afferre, sed bilem

folliculo inclusam unicam esse icteri causam jam iis infirmatum puto, quæ supra de vesicæ felleæ obstructione sine ictero inseqventi dicta sunt [1]), quibus solum hic addere libet, exstare casus, in quibus, obstructo ductu cystico, ad tantum, qvantum vix credi possit, gradum bile expansa fuerit vesica, licet icterus non apparuisset. Quos casus theoriæ expositæ obesse ipse Marcard bene intellexit et se, ait, si veritati minus, quam theoriæ studeret, casus afferre posse a Sculteto, Hoffmanno, Walthero desumtos, in quibus ductus communis sine ictero obstructus deprehensus fuerit; unde concludendum putat, haud magis seqvi ex illis, icterum ex obstructo canali cystico, quam ex his, ex obstructo canali communi, nunqvam oriri. Sed exstant sane observationes, quæ, ni fallor, hos casus quodammodo dilucidant. Morgagni, qui eandem cadaveris sectionem a Sculteto institutam, quæ apud Marcard invenitur, describit, in fimilibus casibus singularem adfuisse putat biliariarum viarum conditionem [2]). Fallopius bis terve ductum communem supra intestinum duodenum in duplicem canalem divisum a se

---

1) pag. 12.

2) l. c. lib. 3, epist. 37, art. 34.

observatum testatur, et Abr. Vaterus ductum in duos ramos separatis osculis intra intestinum hiantes vidit, ut sic, altero osculo obstructo, bili per alterum via in duodenum pateret. Cætera, quæ autor ad casus nominatos sibi contrarios refutandos addidit, firmo omnino carent argumento.

Gravissimum certe contra Marcard argumentum desumi potest ex exemplis, quibus cuiqve persvasum fit, regium morbum exhepatica bile sola interdum nasci. Nam non solum animalia, quibus deest vesicula fellea [1]), ictero sæpe corripiuntur, ut affirmat Vitet [2]), sed in hominibus quoque hepata inventa sunt sine cystide, quorum exempla invenies apud Elvert [3]) Cruikshank [4]) Baldinger [5]) et Fernelium [6]), quin etiam in ictericis totalem

---

1) vide Blumenbachs vergleichende Anatomie. Göttingen 1805. pag. 179.

2) Dict. des sciences medicales sub finem cap. ictère inscripti.

3) Dissertatio de hepatitide cum naturali vesicæ felleæ defectu Tubing. 1780. 4.

4) vide Baillie Anat. des krankhaften Baues ꝛc., von Sømering übersetzt. Berlin 1794, p. 150.

5) Neues Magazin für Aerzte, 1 B, 3. St. pag. 274.

4) pathalog. lib. 6 Cap. 5. De hoc tamen casu dubitare licet "Cadaver sine felle et sine cys-

hujus receptaculi defectum observarunt Richter [1]) Cholmeley [2]) Bourgeois [3]). In his itaque casibus, ubi nullus adest folliculus felleus, icterum ex bile cystica ortum haud ducere patet.

Quod ad vias pertinet, quibus Marcard bilem cysticam in systema sangviferum transire putat, de altera sane quæstio oriri potest, utrum transsudatio bilis cysticæ, quæ in cadaveribus sæpissime conspicitur, et qua alter ic-

teri originem deducendi modus apud nostrum nititur, jam fiat in vita, anne potius mortis sit effectus, et, si fiat in vivo, an sine damno fieri possit.

Plurimi, qui sæculo proxime elapso post autores nuper citatos scripserunt, cum iis resorptionem bilis unicam habent icteri causam.

---

tide inventum est, in cujus sede calculus ingens concreverat." Portal (maladies du foie pag. 130) putat, parietes vesicæ ita cum calculo concretos fuisse, ut defecisse viderentur, uti interdum pericardium cordi arcte concretum deesse videtur.

1) Medicinisch-chirurgische Bemerkungen B. 1, pag. 34, quem librum obtinere haud potui, ex aliorum scriptis citavi.

2) Medical transactions Vol. 6 artic. 4.

3) De l'ictère, Thèse. Paris 1814 pag. 20.

Ita Vogler [1]), qui in omni ictero spasmum adesse supponit, resorptione bilis cysticæ per vasa hepatis lymphatica ad morbum provocandum opus esse, existimat.

Cel. Portal [2]), vir de morbis hepatis meritissimus, variis in locis bilis resorptionem per vasa hepatis lymphatica causam icteri proximam esse, asserit, quibus, se sæpius inter cadavera secanda humorem flavum et subamarum in vasis lacteis et in ductu thoracico observasse, addit; serius hac de re experimenta in animalibus infra citanda instituit.

Cullen [3]) eandem de resorptione bilis in hepate et in intestinis fovet sententiam, quam vero resorptionem per vasa venosa æqve ac per lymphatica fieri posse contendit.

Sömmering [4]), icteri causam proximam in vasis hepatis resorbentibus hærere, propriis aliorumque observationibus ductus affirmat.

---

1) Von der Gelbſucht und ihrer Heilart. Wetzlar 1791.

2) l. c. cap. "jaunisse" inscripto.

3) First lines of the practice of physic Edingb. 1791 Vol. 4, pag. 445,

4) l. c. p. 121.

Eximius J. P. Frank [1]) ex bilis vel ex hepate effluere impeditæ, vel in duodeno intestino copia majori coercitæ resorptione, icterum dicit nasci, utrum autem venæ, an vasa lymphatica bilem resorbeant, silentio ab eo. præteritur.

Illustriss: noster Bang [2]), jam beatus cum Hallero transitum bilis per venas fieri putat; — "obstructis ductibus hepaticis, bilis ab illis exclusa a venosis vasis suscipitur et ad massam sangvinis vertitur; si vero ductus choledochus haud pervius sit, bilis cystica eodem modo per ductum hepaticum in vasa hepatis demum venosa traduci potest indeque in sangvinem; e priori causa icterus pallidior, e posteriori autem intensior flavedo produci et intelligi potest." Nonne autem bilis cystica æqve bene in venas cysticas, ac hepatica in hepaticas transire potest? nonne hæc via veritati multo magis convenire videtur, qvam adscensus bilis contra ponderis leges, præsertim si permaneat defluxus bilis hepaticæ in

---

1) de curandis hominum morbis epitome: lib. 6, part. 3, pag. 339.

2) Prax. medicæ, systematice expositæ. Hafniæ 1818, pag. 563.

ductum hepaticum indeque per cysticum in ipsam vesicam? De colore ictericorum ex bile hepatica cysticave pendente, quid sit sentiendum, jam supra est dictum.

Illustriss: Brandis [1]), vir auctoritate gravissimus, primus, ni fallor, doctrinæ de secretionibus vicariis autor, in ictero judicat per spasticam vasorum capillarium contractionem quam plurimum fieri, ut bilis in hepate secretio inhibeatur, aliaque dein vicaria in cute et interdum in renibus oriatur actio, qua in his organis materia secernatur bili simillima. Neqve tamen bilis secretionem in singulis arqvati speciebus persistere posse, negat, quibus in casibus similem quoque exoriri putat functionem vicariam, quia hepar ad copiam bilis, cujus indigeat organismus morbose affectus, formandam haud sufficiat.

Argumenta, quibus nititur hæcce ab illustrissimo viro exposita theoria, sunt negativa, quæ morbum per bilis resorptionem oriri haud posse, demonstrent. Sed de his infra plura licebit addere.

Cl. Himly [2]), (quem discipulus Koven

---

1) über die Metaſtaſen, Hannover 1798, pag. 164 seq.

2) Commentatio de cachexiis et cacochymiis, in

secutus est) [1]) icterum existimans sangvinis hypercarbonisationem; inter hypercarbonisationem ex secretione bilis inhibita, ex ejusdem resorptione et ex aliis causis, hepatis functione integra, ortam discernit. Nititur hæc sententia eo, quod hepar sit organon depurationis carboneo amovendo constitutum, et quod sangvis aliæque ictericorum partes solidæ et fluidæ, chemicis disqvisitionibus subjectæ, carboneo abundare inveniantur. An vero talis hypercarbonisatio per se sine hepatis auxilio colorem sangvinis flavum producere possit, incertum sane videtur.

Cel. Breschet [2]) aliquot abhinc annis nostri morbi theoriam exposuit, qna "icterum minus bili, quam ipsi sangvini ortum debere" suspicatur. "Nemo", inquit, "mox post partum perfectum colorem infantum magis mi-

---

certamine litterario civium Academiæ Georgiæ Augustæ die 4 Junii 1823 præmio regio judicio ordinis medici ornata. Göttingæ pag. 78.

1) de ictero dissertatio. Göttingæ 1822.

2) Consideration sur une alteration organique, appellée Mélanose etc., quem librum, a bibliopolis sæpius petitum cum obtinere haud possem, contentus ero verba autoris, a Caspero (Rusts Magazin B. 3. H. 2. pag. 353) citata afferendo.

nusve flavum apparere non observavit; num bilem hïc in culpa esse, verisimile est? nonne circulationi mutatæ hoc phænomenon adscribere, naturæ magis convenit? Color flavus in errorem duxit, quem ipsum certum est e sangvine dependere posse; nonne enim integumenta universalia in iis, qui contusiones passi sunt, aut in quibus sangvinis adest dissolutio, pro livido vel nigro, flavo indui colore, experientia docet" ? Caspero multo magis arridet Brescheti de origine morbi usque ad hodiernum diem tam obscuri opinio, quam tot aliorum, qui ex obstructis ductibus biliferis, aut ex secretione cutis vicaria icterum provenire existimant. Multo facilius et simplicius ex hac theoria icterum putat, icterum neonatorum, typhum icterodem et febrem flavam in unum congeri posse, uti quoque cum hac ingeniosa autoris opinione convenire ea censet, quæ ex sectionibus cadaverum eorum, qui typho icterode mortui sunt, obtinentur, in quibus uno ore optimi (epid: 1813) observatores hepar vesicamque felleam sæpissime immutata, lienis autem organisationem (v. s. v.) sæpe læsam se deprehendisse, affirmant.

Quidquid etiam dicat Breschet, nemo tamen negabit, icterum tam arcte affectionibus

systematis biliosi morbosis connexum esse, et tam aperte ex bile pendere, ut morbum ex hoc fonte derivandum esse ultra omne dubium esse videatur. Quodsi autem quis dixerit, in singulis casibus arqvatum se observasse per se, absentibus hepatis affecti signis, existere, convertat oculos ad ipsas primarias hepatis affectiones morbosas, et quam obscure interdum ab ægrotis percipiantur, quam sæpe in partibus remotioribus sese exserant, observet.

Ecce fere autorum, qui mihi principes videbantur, sententias! ex quibus facile videmus, pathologos, paucis exceptis, partim secretionem inhibitam, partim excretionem impeditam in ictero locum habere, existimasse. Inter eos, qui secretionem impeditam constituunt, alii bilem in sangvine præexsistentem supponentes, ex particulis biliosis in systemate sangvifero remanentibus flavum colorem derivarunt, alii autem vicariam cutis et renum actionem, qua materia flava in reti mucoso secernitur, accusant. Qui excretionem impeditam putant, aut per vasa lymphatica, aut

immediate per venas, aut utraque via bilem in sangvinem transire ponunt. Nobis autem ea maxime arridet sententia, qua icterus et per secretionem bilis vicariam et per ejusdem resorptionem nasci existimatur. Altero in casu secretio in iecinore inhibita est, in altero autem aut via bili in intestina interclusa est, quo fit, nt in hepate ipso et in ductibus peragatur resorptio, aut libere patet via, ut ita resorbeatur bilis in intestinis.

Multa, quæ huic sententiæ obesseut, proferri posse, haud ignoramus, sed observationes a variis autoribus factas, cadaverumque sectiones a variis institutas accuratius colligendo et invicem conferendo eo pervenimus, ut hanc sententiam, si non veram, vero tamen proxime accedentem habeamus.

Argumenta autem, quibus nixi per bilis resorptionem icterum fieri posse existimamus, hæc sunt:

a) Anatomia pathologica bilem vel saltem materiam bili simillimam in vasis lymphaticis ictero demortuorum inventam fuisse ostendit. Sömmeringium sæpius invenies in ictericis vasa resorbentia hepatis et vesicæ felleæ liquore luteolo, bilis naturam prodente,

turgida offendisse [1]). Quod idem a Mascagni et Cruikshank [2]) confirmatum videbis, quorum prior in ictero vasa absorbentia hepatis superficialia et profunda bile amara et colorata turgida reperit, posterior vasa lymphatica vesicæ felleæ bile plena invenit. Cel. Andral sæpius in cadaveribus ictero demortuorum vasa lymphatica et ductum thoracicum fluido flavo, lintea tingente, impleta vidit [3]).

b) Experimenta in animalibus instituta, arqvatum ex bilis resorptione originem trahere posse, satis docere videntur. Saunders ductum hepaticum canum ligatura occlusit, in quibus, post spatium duarum horarum necatis, vasa hepatis lymphatica usque ad ductum thoracicum materia biliosa impleta vidit [4]).

---

1) l. c.

2) Anatomy of the absorbent vessels. Lond. 1786, pag. 42. et loco cit.

3) Meckels Archiv für Physiologie, 8. Band, pag. 228. Andral in aliis quoque cadaveribus hunc lymphæ colorem se observasse, narrat.

4) Treatise on the structure, economy and diseases of the liver. London 1793, pag. 91— et Koven l. c. pag. 35.

Cel. Portal [1]) in pluribus animalibus intestina tenuia in loco ab apertura ductus choledochi distanti ligatura constrinxit, et, quinque vel sex præterlapsis horis, color flavus in oculis animalium conspiciebatur. Cadaveribus trucidatorum apertis, vasa lymphatica et ductus thoracicus bile impleta deprehendebantur. Idem celeb. vir icternm oriri observavit post ligatum ductum choledochum et hepaticum, nunqvam autem post constrictum cysticum: Ita quoque icterum exoriri vidit cel. Brody [2]), qui ductum hepaticum eo consilio constrinxit, ut, quid bilis ad digestionem promovendam conferret, detegeret.

Quarum observationum, a tantis viris institutarum veritatem etsi addubitare vix licet, nihilo tamen minus multa allata sunt, quæ uno alterove modo earum vim infringere videntur. Quæ cum accuratissime collecta et exposita sunt ab illustr. Brandis, cui plurimæ harum observationum cognitæ fuerunt, optimum ducimus hoc loco ejusdem instar omnium afferre objectiones.

---

1) Saml. auserles. Abhandl. für praktische Aerzte B. pag. 8.

2) vide Frorieps Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde. May 1823.

Haud sine difficultate, ait, tales institui observationes, et facile, ut quoad colorem succi lymphatici magis minusve flavum error locum habeat, fieri posse. Si autem in omnibus icteri chronici casibus, hic nominatis (?), minorem bilis quantitatem in hepate, quam in statu naturali secerni, demonstratum sit, si inter hos casus multi, in quibus totius hepatis substantia in suppurationem versa sit, et ita bilis secerni haud possit, exstent, illas observationes vi carere transitum bilis in vasa lymphatica demonstrandi, apertum esse. — In casibus icteri universalis, ubi omnes partes solidæ et fluidæ, quin etiam ossa flava fiunt, succum quoque lymphaticum hoc colore indui posse, probabile fieri, neqve tamen huuc colorem vere in hepate secerni, inde seqvi. — Dubium Swietenii contra theoriam absorptionis per vasa lymphatica magni esse momenti, qui, si bilis a vasis lymphaticis immutata resorberi possit, quærit, cur talis absorptio non fiat in statu sano, ubi majori copia in hepate, vesica fellea, quin etiam in canali intestinali adsit bilis, quam in ictero chronico. — Multum denique differre horum vasorum prope vel etiam post mortem actionem ab eorundem, dum vires vitales adhuc

integræ sunt actione, et uti docent observationes anatomicæ, brevi ante vitæ finem sangvinem haud decompositum interdum ad notabilem vasorum lymphaticorum tractum duci, ita forsan quoque fieri posse, ut ultimo vitæ tempore bilis in primos vasorum lymphaticorum ramos mechanice perferatur, neqve tamen inde, hunc transitum generalem esse icteri causam, cum tot alia contraria demonstrent, concludi posse.

Auctoritatem autoris, has objectiones proponentis, etsi summa, qua par est, veneramur verecundia, non possumus tamen, quin his multa, quæ nostræ sententiæ minus congruant, inesse concedamus. Quæ cum ita sint, liceat nobis afferre, quibus de causis eam tamen, quam ipsi fovemus sententiam non plane abjiciendam esse duxerimus.

Difficulter institui observationes de seri colore in lymphaticis vasis, et facile errorem hic locum habere posse, libenter concedimus; tot autem viros, tamque magna nomina in eundem errorem incidisse, credere vix audemus; quodsi etiam ponamus, nonnullis eorum idem accidisse, quod de tot aliis narratur, eos, quid in sectionibus et experimentis in-

stituendis videre voluerint, vidisse, idem tamen de omnibus valere minus verisimile videtur, de cel. Brody saltem hoc minime contendi potest, qui experimenta longe alio consilio instituens, idem, quod Saunders aliique ἐν παρέργῳ deprehendebat.

In casibus icteri chronici minorem bilis quantitatem, quam in statu naturali haud semper secerni, infra videbimus, arqvatum autem in casibus, in quibus totius hepatis substantia suppurata sit et in similibus casibus, ex bilis resorptione originem haud ducere, omnino autori concedendum putamus.

Ad quæstionem a Swietenio propositam, cur bilis haud resorbeatur in statu sano, ubi major ejus adsit copia in intestinis, hepate et vesica fellea, quam in ictero chronico, facile respondemus, statum sanum a statu abnormi differre, et differre quidem eo, quod altero in casu libere bilis ex hepate in duodenum transfluat, ut chymo commixta digestioni promovendæ inserviat, in altero autem, uti ex observationibus pathologico-anatomicis concludere licet, sæpius obstaculum in uno alterove ductuum biliferorum, inflammatio, calculus &c., bilis transitum intercludat. Porro non in omni ictero minor,

quam in statu sano, bilis copia in hepate, vesica fellea et intestinis adesse videtur. Lanio in nosocomio regio Fredericiano decubuit, qui per duos menses ictericus, per quatuordecem dies diarrhoeam passus est biliosam, cui vomitus biliosus antecesserat. Quo in casu ad majorem potius, quam ad minorem bilis secretionem et ad majorem ejusdem in hepate et intestinis copiam concludi posse putamus; neqve quod ad vesicam felleam pertinet, de ea ad immanem molem in ictericis bile expansa desiderantur observationes [1]).

Vasorum denique lymphaticorum ultimo vitæ tempore et post mortem actio, qua bilis in primos eorum ramos mechanice ferri possit, minus nobis apta videtur, quæ demonstret, auriginem non per bilis resorptionem oriri, sed contra secretioni suppressæ indeque vicariæ ortæ cutis actioni natales debere. Apertum enim est, bilem, in iecinore non secretam per primos vasorum lymphaticorum ramos haud resorberi posse. Neque in primos solum vasorum lymphaticorum ramos bilis vel materia bili similis, sed etiam in ipso vasorum

---

1) vide Lieutaud l. c. obs. 857. (vesica fellea libram unam cum dimidia bilis continebat).

lymphaticorum trunco, in ductu thoracico eandem invenerunt materiam autores supra laudati.

c) Quodsi chemia in nostri morbi naturam indagandam applicata præsentiam bilis, vel potius partium, quæ in bile sola reperiuntur, quibusque hoc ab aliis distingvitur secretum, in variis solidis fluidisque corporis partibus et præ primis in sangvine experimentis comprobare valeret, tertia certe icteri originem ex bile resorpta interdum derivandi adesset ratio. Neque desiderantur autores, qui operam in hac re accuratius disqvirenda collocarunt; sed varia ex variis institutis experimentis effecta sunt. Urinam ictericorum chemice exploravit cel. Clarion [1]), qui materiam viridem nec non oleosam bili propriam in urina indagasse narrat. Cel. Orfila [2]) mag-

---

1) Journal de medicine, chirurgie, pharmacie par Corvisart, Leroux, Boyer. Tom 10 an. 1803 p. 288 &c.

2) Nouvelles recherches sur l'urine des icteriques Paris 1811, quem librum nomine solum cognitum habeo, sed momenta principalia Journal für Chemie und Physik von Schweiger B. 6, Heft 3 pag. 325 inserta sunt.

nam in eadem materiæ resinosæ viridis partem reperit, albumen autem bilis nunqvam in urina detegere potuit. Cel. Deyeux [1]) e contrario ne vestigium quidem bilis in lotio invenit. Unde autem hæc differentia? Nonne verisimile est, hanc differentiam in eo quærendam esse, quod vario morbi tempore urina disqvisita sit? Urina ictericorum, uti colore mutata, lintea tingit, anteqvam flava fit cutis et sclerotica, sic etiam colorem in naturalem redire, linteaque a lotio tingi desinere, antequam color cutis et oculorum flavus evanescit, nemo ignorat. Ultimo itaque in casu si quis urinam chemice exploraret, eadem ab eo haud obtineri posse, quam eo, quo morbus adhuc viget tempore, in aprico est.

Dixerit forsan aliquis, bileum in urina ictericorum per experimenta chemica indagatam, haud comprobare ortum morbi ex ejusdem in sangvinis massam resorptione, renes autem esse organa vicaria, quæ, suppressa in hepate secretione, simul cum cute liquidum secernant biliosum, hoc quidem fieri posse, negare non audemus; sed ad ipsius sangvinis analysin chemicam refugiamus, ut inde icteri ex re-

---

1) Dict. des sciences medic. T. 23 p. 401.

sorptione ortus, quantum fieri possit, patescat.

Clarionis [1]) de sangvine bilioso, ut dicunt, experimenta maximi nobis momenti esse videntur. Ipse enim in nosocomio, la Charité vocato, ictericos per totius morbi decursum tractavit, cadavera demortuorum magna cura perlustravit et accurate experimenta instituta descripsit, unde fit, ut facile nobis persvadeat. Cum autem limites hujus opusculi omnia ab eodem facta experimenta afferre non sinant, unum instar omnium in sangvine icterici vivi institutum tradere conabimur.

In foemina 41 annorum, quæ, hystericis affectionibus sæpius obnoxia, peritonitide, ictero et fluxu menstruali copioso laboravit, sexto morbi die vena secta est. Sangvinis crassamentum cute obtectum erat flavescenti, serumque colorem exhibuit flavo-viridem et saporem salinum haud amarum. Unciæ seri quatuor et drachmæ tres parva acidi sulphurici et dein majori alcoholis quantitate mixtæ fluidum viride saturatum præcipitatumqve flocculentum coloris albo-viridescentis reddiderunt. — In superficie fluidi, omni alcohole

---

1) l. c.

privati, flocculi materiei viridis apparuere, ponderis granorum septem, qui omnes materiei viridis, quæ bili inest, qualitates præ se ferebant. Fluidum, in cujus superficie hi flocculi natabant, colorem exhibens flavescentem et saporem valde acidum, ad siccitatem evaporatum et dein natro carbonico et alcohole tractatum, quatuor materiei oleosæ grana præbuit ejusdem naturæ, quam ea. quæ in bile deprehenditur. — Præcipitatum floccu-lentum, in sero ope acidi sulphurici et alcoholis formatum, colorem pulchrum viridem, postqvam siccatum erat, reddidit, ex quo ope liqvoris ammonii diluti, albumen difficilius quam materiam viridem solventis, duo circiter materiæ viridis grana Clarion separabat, sed depositum albuminosum colorem viridi-flavescentem retinebat.

Tres crassamenti unciæ acido sulphurico et alcohole tractatæ tria circiter materiei oleosæ grana reddiderunt.

His similibusque experimentis Clarion præsentiam partium bilem constituentium in humoribus ictericorum demonstravit, sed quo magis hæc confirmaretur sententia, analysi quoque subjecit glandulas lymphaticas, telam cellulosam, membranas serosas, mucosas, mus-

culos, cartilagines serumque abdominis, et ex his omnibus eadem, quæ ex sangvine obtinuit.

Orfila [1]) narrat, se ter analysi chemicæ subjecisse ictericornm sangvinem et constanter in eo bilem vel potius materiam resinosam viridem, qua optime hoc ab aliis distingvitur secretum, invenisse.

His contraria alii chemici auriginosorum sangvinem explorantes viderunt. Ita Deyeux [2]), qui primus circa ictericorum sangvinem experimenta instituit, veterum de bilis in sangvine morbo regio affectorum præsentia eo refellere putavit sententiam, quod in sangvine viri 45 circiter annorum, qui duos fere annos ictero laboraverat, bilem indagare haud potuit. Serum deprehendit gelatina et albumine abundans, flavi coloris, pigmento proprio, quod bili inest, sed sine ea ubique in corpore progigni posse putat, ex ejus sententia adscribendi.

---

1) Handbuch der medeciniſchen Chemie, aus dem Franzöſiſchen von Trommsdorf, Erfurt 1820. 2ter Band p. 351.

2) Gehlens Journal für Chemie, Phyſik und Mineralogie. B. 7 pag. 505.

Meissner [1]) sangvinem ictericorum a sano sangvine haud multum differre putat; serum albumine et fibrina abundans invenit, ejusdemque color flavus non ex bile sed ex principio animali tingenti, quod omni sangvini inest, majori autem copia in ictericorum sangvine exstat, derivandus ab eo existimatur.

Differunt itaque, ut supra monuimus, inter se ea, quæ chemici ex analysi sangvinis ictericorum obtinuerunt, quam differentiam si variæ morbi causæ adscribimus, haud multum errare putamus, licet hanc nostram opinionem, quippe cum apud plures chemicorum, qui supra nominati sunt, exacta morbi desideretur narratio, argumentis comprobare haud possimus. Tantum autem abest, ut experimenta chemica nostram de morbo regio sententiam oppugnent, ut potius icterum et ex resorptione bilis secretæ et ex ejusdem secretione suppressa indeque orta alia vicaria secretione, originem ducere posse, confirmare videantur.

---

1) Ueber das Blut der Gelbsüchtigen in Schweigger und Meineckes Jahrbuch der Chemie und Physik. 2ter Band p. 145.

His seqventia addi possunt, quæ etsi non demonstrant, verisimilem tamen reddere videntur sententiam sæpius jam commemoratem.

d) Exempla plura apud autores, inter quæ illud apud Bonetum a Kerkringio observatum legimus [1]), alia a Sylvio, Sandiford et Wrisberg citata [2]) vidimus, exstant, quæ matres sub graviditate ictericas foetus auriginosos exclusisse docent; porro matres infantibus, quibus lac præbuerunt, morbum communicasse, qui, redeunte matris sanitate, in infantibus

---

1) Boneti sepulchret: lib 3, sect. 18, obs. 34: "Mater ictero laborans, octavo graviditatis mense peperit mortuum foetum; puerum quidem, sed ita flavum, ut e cera confectus puer, non partus humanus videretur. Eum potestatis meæ factum seco, pro sangvine humorem fellis instar flavum reperio, eumque diligenter lagena exceptum servo. Ad ossa ubi perventum, ea sic erant humore eodem, eodem colore flavo imbuta, ut, si non ipse secuissem corpusculum, illudi mihi atque arte tincta fuisse putassem."

2) Greuwen von der Gelbſucht, vide Saml. auserles. Abhandl. zum Gebrauche für praktiſche Aerzte B. 14 pag. 173.

quoque cessavit [1]). Neqve raro testante experientissimo P. Frank [2]) fit, ut tenelli lac nutricis ictericæ respuant. Nonne hic morbum infantibus per circulationem communicatum, infantesque lac ob particulas biliosas, quæ eidem forsan insunt, respuisse verisimile videtur?

e) In plurimis, quæ cum commilitonibus secui cadaveribus, præter alias partes, quas flavo colore tinctas vidimus, hepatis substantia incisa pro solito colore flavum omnino referebat aut viridem, et ex divisis ductibus ipsius hepatis substantiæ biliariis fluidum ejusdem coloris satis magna copia effluxit [3]) ita, ut hæc hepatis conditio nobis de excretione, non de secretione bilis impedita persvaderet.

His nixi originem icteri bili resorptæ et cum sangvini per totum corpus circumductæ adscribere haud dubitamus. Per vasa lymphatica hanc resorptionem fieri posse vidimus, alii eandem per venas fieri contendunt. Nos

---

1) Krüger Hansen in Rusts Magazin B. 13, Hefte 2 p. 357.

2) loco supra cit.

3) Idem observavit cel Andral. Vide Coplands medic. repository Jan. 1825 cas. 4.

experimentis a pluribus physiologis nostri ævi institutis, quibus absorptio venosa, per multos annos abjecta, rursus probatur; experimentis Meckelii supra nominatis [1]), iisque, quæ a Saunders [2]) instituta sunt in eam adducimur. opinionem, ut utraque via morbum oriri posse putemus. Quam autem opinionem argumentis adhuc niti nimis debilibus, non possumus, quin concedamus.

Præter ea, quæ supra jam commemorata sunt contra anatomico-pathologicas, bilis resorptionem arguentes observationes, plura a variis humorum secretorum resorptioni in genere objiciuntur, quæ vero partim suo loco proponentur, partim talia sunt, quæ argumentis supra a nobis allatis facile cedant, ut uberior eorum disqvisitio supervacanea videatur.

---

1) vide supra pag. 18.

2) Ductum hepaticum canis ligatura constrinxit et, duabus horis præterlapsis, in alterum vas ex vena jugulari incisa, in alterum ex vena hepatica sangvinis portionem excepit. Post spontaneam separationem factam in utriusque sangvinis serum chartam albam immisit, quæ a sero sangvinis venæ jugularis leviter solum tingebatur, dum serum sangvinis venæ hepaticæ obscuriorem chartæ tribuit colorem.

Non omnis autem icterus ex bilis resorptione oritur. Sæpe enim in cadaveribus talia observantur organi secretorii ipsius vitia, quibus secretionem omnino inhibitam fuisse, ut ita bilis resorberi haud possit, eluceat. Talibus in casibus unica solum, qua icterus oriri potest via, nobis cognita est, per secretionem nempe cutis et interdum renum vicariam, qua secernatur materia ei, quæ in hepate alias producitur, simillima.

Hæc ab illustrissimo Brandis proposita sententia, ab eoque in originem plurimarum icteri specierum deducendam applicata, partim argumentis, doctrinam de secretionibus vicariis in genere demonstrantibus [1]), partim talibus, quæ nostro morbo in specie competant, nititur. Illa exponere longum sit, eaque, cum plerisque cognita existimari possint, hoc loco nobis omittenda judicamus. Hæc ita fere se habent:

1) Uti pigmentum nigrum, quo tingitur æthiopum cutis et simile, quod in interno oculi cavo conspicitur pigmentum haud per infiltrationem deponi, sed per proprium pro-

---

1) l. c. § 12.

cessum organico - chemicum in ipso organo præparari, in aprico est, ita

2) in ictero pigmentum flavum per processum organico - chemicum, haud per infiltrationem deponi, icterus partialis demonstrat, in quo naturam partes biliosas sangvini immixtas separasse et in singulis locis deposuisse, non verisimile videtur.

3) Serum sangvinis flavum nihil demonstrat, cum neque constans sit color ejus flavus in ictericis, et sæpius in aliis morbis quoque inveniatur.

4) Observationes a Sömmering, Cruikshank aliisque factæ, non demonstrant bilis resorptionem ob causas supra a nobis expositas.

Quisque, ni fallor, autori ea concedet, quæ de sero sangvinis ab eo dicta sunt, uti etiam icteri partialis ex secretione vicaria derivatio æqve ac quisquis alius singularem hanc affectionem explicandi modus vero convenit, sed hoc tum solum de ictero partiali et de aliis nonnullis, quas infra videbimus, arqvati speciebus valere, non autem de morbo in universum ac ne de plerisque quidem ejus speciebus affirmari posse putamus.

Jam restat, ut breviter varia icteri species a variis, qnæ freqventissime occurrunt, causis ortas consideremus, et quomodo earum quæque aut per bilis resorptionem aut per secretionem vicariam nascatur, perpendamus.

Icterum ab hepatis inflammatione produci, omnes, qui de hoc morbo scripserunt uno ore asserunt, et si jam nemo hodie Boerhavio, icterum symptoma hepatitidis tam constans existimanti, ut in omni casu adesset, assentit, sententiam tamen a Galeno jam fotam, inflammationem concavæ solum hepatis superficiei ictero ansam dare, a recentioribus autoribus confirmatam videmus. Hæc autem inflammatio, intumescentiam ductus biliferos comprimentem secum ferens, liberum bilis exitum impedit, unde fit, ut supra locum compressum bilis præter modum accumulata ductus expandat et a vasis resorbentibus assumta, in sangvinis massam ducatur. Neque tamen fieri non potest, ut inflammatio, totam vel majorem hepatis substantiam occupans secretionem omnino inhibere valeat; sed rari sunt casus, in quibus tanta inflammationis extensio observatur. — Præter inflammationem ipsius hepatis, aliarum quoque partium

phlogosis, præ primis autem ductuum biliferorum majorum [1]), hepatici vel choledochi et, ni fallor, etiam duodeni [2]), viam bili intercipiendo arqvatum evolvit.

Hepatis abscessus et incrassationes sic dictæ, cum non semper totum iecur, sed unum plerumque vel alterum solum lobum, vel etiam partem modo lobi afficiant, vario modo in icterum provocandum agere videntur. Abscessus singulo in loco et partialis talis incrassatio raro secretionem inhibere, sæpius comprimendo excretorios ductus, bilis in duodenum effluxum impedire videntur. Totam autem hepatis substantiam suppuratam, scirrhosam, cartilagineam, quarum affectionum ra-

---

1) Inter recentiores Andral in 4 sectionibus accuratissime institutis inflammationem ductuum observavit vide Medical repository Jan. 1825.

2) Inter secandum cadaver viri, qui ictericus in nosocomium Fredericianum perveniens, post horarum circiter 24 spatium mortuus est, duodenum ad plures pollices circa locum, ubi ductus choledochus et pancreaticus duodenum intrat, inflamatum inveni, neqve specillum tenue per transscissum ductum hepaticum immissum per os duodenale choledochi, nisi summa adhibita vi perducere successit.

riora exstant exempla [1]), bilis secretionem impossibilem reddere patet, ut, si hic oriatur icterus, eum secretioni vicariæ originem debere putemus.

Etsi Heberdenio, causam icteri fere unice in calculis vias biliferas obturantibus ponenti, non assentiri potest, sæpe tamen fieri posse, ut calculi fellei in canali choledocho, hepatico vel pluribus aliorum ductuum sedem figentes eosdemque obturantes, bilis favent accumulationi et resorptioni, ut sic nascatur icterus, ultra omne nobis est dubium. Calculos autem in vesica fellea vel ductu cystico habitantes icterum vix producere, jam supra commemoravimus.

Uti calculi intus, ita partes hepatis vicinæ volumine morbose auctæ, extrinsecus agunt et ductus comprimendo claudunt. Sic agere putamus pancreas intumescens, cujus freqventissime apud autores mentio fit [2]), coloñ fæces multas et duras [3]) includens, uterum gravidum &c.

---

4) Lieutaud. l. c. obs. 722 — obs. 736 — obs. 652. — Frank l. c. p. 332.

5) idem obs. 1012. Portal. l. c. obs. B, K.

6) Frank l. c. 333.

Antesignano Sydenhamio spasmi a plurimis inter causas icteri afferuntur, qui, si morbum afferre valeant, quod rarissimis in casibus fieri putamus, in duodeno eosdem hærere ibique aperturam canalis choledochi inferiorem claudendo agere, multo magis organorum structuræ (Bosquillon) convenire videtur, quam eosdem in ipsis ductibus vel etiam in ipso hepate (Louyer-Villermay) locum habere posse.

Inter animi pathemata, quæ arqvati causæ existimantur, moeror et ira frequentissime occurrunt. In iratis subito morbus accedere, nec diu durare solet, et in iisdem secretionem per spasmum vasorum secernentium inhiberi, aut effluxum per spasmum ductuum excernentium impediri, apud multos autores legimus. Perpendentibus autem, alias in iratis bilis secretionem augeri solere, magis, ni fallor, arridebit sententia, qua resorptio bilis superfluæ per vasa venosa in hoc casu peragi putatur — In hominibus autem moerore depressis morbus lente advenit, diutius inhæret et prægrediuntur in genere symptomata, hepatis affectionem indicantia, ut haud multum a vero nos aberraturos putemus, si icterum a moerore ortum aliis in

casibus a secretione suppressa, in plurimis autem haud immediate a vitio dynamico, sed potius mediate post unam alteramve organi secretorii ipsius affectionem morbosam oriri statuamus.

In neonatis raro vitia hepatis organica adsunt [1]), ut plurimum intestinorum per meconium, lac maternum vitiosum oppletio bili in duodenum exitum præscindere videtur, et si interdum in infantibus, licet evacuato mox post partum meconio, licet nulla indigestionis adsint signa, cutis tamen post nonnullos dies, prægresso colore rubente, flavescat, hunc cutis ruborem et subseqventem flavedinem, cum neqve oculi his pusionibus flaveant, nec urina lintea tingantur, a primo atmosphæræ stimulo proficisci et magis erythema, quam veram auriginem sistere, immortalis asserit Petrus Frank. [2])

Icterum febribus continuis annexum, in quo alvus in genere tincta est, quin etiam

---

1) Vide Baumés: Traité de l'ictère ou jaunisse des enfans de naissance ouvrage, couronné en 1785 par la faculté de Medicine à Paris 2de edition Paris 1806 pag. 48.

2) l. c. pag. 334.

diarrhoea biliosa deprehenditur, ex secretione bilis suppressa oriri, nemo, quantum scio, contendit. Resorptionem autem bilis majori copia secretæ ex hepate et in primis ex canali intestinali hic fieri, omnium de hac icteri specie sententiarum maxime nobis arridet. Hic sane objici potest, naturam bilem in canali intestinali superfluam per diarrhoeam et vomitum auferre solere, neqve non in febribus continuis idem sæpe contingere observamus; sed præter id, quod inter hæc naturæ conamina pars bilis resorberi possit, multis in casibus, quod et ipsi sæpius observavimus, icterus apparens vomitui succedit, ut, quando canalis intestinalis stimulo alieno quasi assvefactus sit, fieri possit, ut reliqva, quæ post vomitum sedatum adhuc restet pars, resorbeatur. Bilem autem ex canali intestinali resorberi posse, satis demonstrant experimenta a Portalio instituta, supra jam commemorata [1]). Quam sententiam de bilis in febribus continuis, quibus icterus supervenit, resorptione, cui inter recentiores de hoc morbo autores etiam favet Willeneuwe, multo magis verisimilem habemus, quam est ea, quæ alia organa simul

---

1) pag. 33.

cum hepate in secretionem bilis peragendam occupata supponit, eaque a cel. Himly de sangvinis hypercarbonisatione supra exposita [1]).

---

1) pag. 28.

Nota. Pagina 7ma linea 22da verba: "partim per communem ad duodenum" per errorem typographi omissa sunt.

15P.-